

## ORATIO FUNEBRIS

Habita in Ecclesia SS. duodecim Apostolorum  
de Urbe occasione Exequiarum

*Eminentiss., ac Reverendiss.*

FR. LAURENTII BRANCATI

CARDINALIS DE LAURÆA

AB ADMODUM R. P. S. THEOL. MAGIST.

FR. HIACYNTHO SERRY

DOCT. SORBONÆ ORD. PRÆDIC.

*Corona dignitatis Senectus, quæ in viis Justitiæ reperitur. Prov. 16.*



Ameti universis hominibus ex natura conditione ita sit defuncta mors, ut illam nobis imminere quotidie, aut certe non admodum abesse sentiamus; tamen contingit sæpius, ut morte excellentium Virorum ipsi perinde moveamur, ac si omnino mori non debuissent, eosque doleamus cæterorum ritu occidere, quos, si fieri posset, immortales esse caperemus. Sic etenim nobis eorum vita cara, jucundaque est, ut cum natura fati vixerint, fati etiam gloriæ, Ecclesiæ tamen parum vixisse videantur, atque dum illos casus aliquis, aut ipsa moriendi lex nobis eripuit, continuo, quasi communes omnium parentes interierint, tota passim Ecclesia ad parentandum eis excitata conveniat.

Et quid aliud tota Roma nunc agit? Quid sibi volunt tristissimi funerum apparatus? Quid atrati parietes? Quid hæc præses sacrorum mestitia? Quid mutatus Eminentissimi Ordinis color optimus? Quid confessus ille vester? Quid ipsi tandem volumus, quid agimus Auditores? Eminentissimi LAURÆÆ mortem, hoc est publicam jacturam publicam lamentatione deploramus. O rerum humanarum vicies! Eram igitur ad hoc destinatus, ut post triennale silentium, quo meæ tenuitatis conficiis obscuris penetralibus delitueram, in hæc tandem funerea, ac prope sepulchrali caligine Oratoris officium auspicarer, novaque tristitiæ accessione, transalpinis sermonis horrorem cum exequiali lamentatione conjungerem!

Ita est; Auditores, ita est. Obsequar tamen imposte legi; & qui hæcenus sacram Purpuram e longinquo revereri non satis audebam, præcisas nunc, ac marcescentes Eminentissimi Senatus sacratissimas laureas funerea manu audacius contrectabo. Ac veluti fidelium omnium communis interpres, publicas laudes, & lacrymas Religiosissimo Principi dabo; qui nec pro suis virtutibus

laudari, nec pro nostro omnium merore lugeri satis potest.

Quamquam quid ego ista commemoro? nolo vos ad lamenta revocare, sed pristinos, est fluentes etiamnum fluctus abstergere, Mortuus est LAURÆA. At si memoriam ejus, qua par est pietate colere meditatur, pudeat lugere potius ut mortuum, quam ut viventem in Domino commendare eum, cujus vita quam longa, tam admirabilis; cujus denique mors, non intempestivo gemitu sedanda est, sed immortalis præconio celebranda.

Est illa virorum omnium, quos æterna Sapientia ad supremam Ecclesiæ ministeria destinavit, necessaria, iustaque conditio, ut suis ipsi dignitatibus coronentur. Lauræa communi ferre superior, Justitiæ semitas ad senium usque tenens, dignitatis sue laurea fuit, eo Sapientis dignus elogio: „Corona dignitatis Senectus, quæ in viis Justitiæ reperitur.“ Dicam id, Auditores, paulo distinctius, ut effusissimæ laudationi modum ponam, in Eminentissima fortuna religiosa moderatio, in absolutissima eruditione summa humilitas, in exerenda senectute labor assiduus LAURÆÆ dignitatem nova splendoris accessione coronarunt. Quæ tria dum breviter explicio attentionem vestram non tam dicentis excitabit oratio, quam vestra in sacros ejus cineres pietas, ac veneratio detinebit.

## PRIMA PARS.

Summam fortunam summa semper invidia comitata est, ut non tantum mirabile, sed proferus incredibile videatur, homo circa invidia Fortunatus. Hoc habet magna fortuna, ut quoniam natura insolens, atque superba est, impotenter dominari velit: hoc habet pariter humana indoles, ut quoniam sensum libertatis nascendo afferat, servire nisi coacta non possit. Qua fit, ut dum Magates pro dominandi libidine saturant se ho-

noribus, quos & acerbi exigunt, & arroganter accipiunt, cæteri pro necessitate fervendi, quod ab eis exigitur obsequii tributum, altera quidem manu pendunt, altera retinent: In aperto servitus, & reverentia; in occulto invidia, & delati palam honoris, jucunda clam, nec sine triumpho retractatio. Sic illa Magnatum, ac subditorum mutua contentione tota pene Aularum fabula peragitur.

At cum aliquis fortuna modeste parva modestus utitur, cum moribus illam suis non illi suos mores accommodat; cum e gloriæ suæ fastigio descendit sine gloriæ insignibus, cum tamquam privatus ad privatos accedit, vultque inter homines homo videri, tunc mutati de repente aliorum animi omnem invidiam sensum protinus exuunt; & ut ei viro certatim inserviant deprimunt se ultro, ut latere volentem e turba eripiant; ruunt ad terram ut extet, ut emineat, & ab eo relicta dignitatis insignia cum amplissimo novi honoris incremento restituant.

Orationem hæc meam cogitatione præcurritis, Auditores. Laurææ vultum fideliter adumbratum agnoscitis. Videlicet nemo quisquam fortunatior extitit, nemo in tantâ fortuna modestior. In Seraphicæ humilitatis umbraculis educatus, longoque annorum tractu stadium pauperatis emensus, nullos extra Ordinem suum honores depoposcit, maximos tulit, nec sine invidia modo, sed etiam cum omni Romano amore, ac veneratione reportavit. Quod nullos petiit, modestiæ indicium est: quod maximos tulit, virtutis premium: quod & sine cuiusquam invidia, & cum omnium Romanorum amore, genus felicitatis inauditum, & novum. Ecquo enim fortuna felicitior, quam invidiam omnem ita comprimere, ut nunquam appareat; ita delinere, ut semper obmutescat; ita indole sua, naturaque exuere, ut amet, ut admiretur, ut summa hominis dignitate, famaque laetetur? Et hæc vero invidiata via est, quam optimus Senex tota vitæ ratione feliciter tenuit.

Erat in eo sicut meministis, mira conciliatrix animorum; eademque meritorum decus, ac magistra modestia, in vultu expressa, in verbis emittens, insidens in moribus, in habitu, in cultu, in comitatu; non ascita, non stoica, non fallax, sed nativa, sincera, Christiana, Religiosa. Confluxerant in eum invidiam eximia munera, & officia, quibus ad altiora ministeria concoqui, fortunamque e longinquo subodorari licuerat; unus illi metus fuit ne ad Aulæ strepitum ex officio vocatus, amica Claustris silentia desereret. Episcoporum Examinator, Congregationum plurimum Consultor, Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus a Pontificibus constitutus, ut & Purpuræ maturet fecerit & iis tandem gradibus ad Principatum ascenderet, quibus in Cælum ascenditur, sua se virtute involvit Lauræa, bonamque pauperiem sine dote quaesit; suæ illum virtutes ad altiorum dignitatis sortem provocabant, retrahere moderatio, & intra modum conditionis Monasticæ continebat. Hujusque sibi innata virtutis ingenium securus, seque in se ipso coarctans, & si niens commodare se tantum publicis officiis ambibat, & in ipso Aulæ Romanæ sinu, aulicum se oblivisci, solum se Religiosum recordari videbatur. Sentiebat quippe vir iustus, & integer vitæ quam difficile sit Religiosum hominem, & in schola simplicitatis edocum, ea in statione versari totum, ubi virtutes, & vitia pariter periculosa sunt. Industria obnoxia invidia, negligentia vituperationi, odiosa severitas, indulgentia perniciosa, sermo invidiosus, coempta taciturnitas.

Serry Tom. VI.

tas, & irrisa artem inexpertis incredibilem, expertis luctuosam!

In hæc igitur aleam pro meritorum magnitudine invitatus Lauræa diu sublitit, diu timuit, suoque inclusus ministerio, & in omnes officiorum partes intentus, latere potius, quam profira gestiebat. Spes omnes suas finierat optimus Senex; & jam in isto suo secessu, velut in tumulo quodam, consperso coronis, & floribus includebat se, condebatque vivus, ut qui nullos honores affectaverat, jam repelleret a se omnes, ne importunus illum strepitus, ab hac religiosa vitæ tranquillitate revocaret: sed frustra. Vocat eum ad Purpuram meritorum æstimator, æquissimus Innocentius XI., & quem tacitis votis Univerfus Orbis optaverat, Pontificio oraculo Cardinalem renunciat. O diem fidelium omnium expectatum precibus, desiderii acceleratum! Quis nostrum intimos gaudii sensus cohibuit? Quis obmutuit? Quis mediocriter exultavit? „O omnium capax debet esse meritorum (cum Casiodoro exclamabamus) qui iudicem cunctarum meruit, habere virtutum.“ Unus ipse blandienti fortunæ subitæ videbatur. Pudebat eum quodam modo delatæ sibi dignitatis, quam & virtuti suæ debitam, eidemque acceptam pene exprobrat. Magna circa eum immutatio, magna profus, Auditores: In eo plane nulla. In nova vitæ conditione idem vivendi modus, & sub Eminentissima Purpura Religiosi hominis pudor. Major auctoritate, virtute similis; superbum Principis titulum Religiosi nomine mitigatum, modestiæ, ac pierati cedere iussit. In Cardinali idem vultus, idem animus, idem ille Lauræa, cum dignitate hilaris, cum urbanitate gravis, cum blanda severitate affabilis, Carus aequalibus, jucundus iustis, sine vilitate simplex, sine ostentatione moderatus. At quo magis moderatus, eo nos illum impensius colere, laudare, admirari, nolentem, ac pene iratum effasse venerari, quocumque ingrederetur, ire obviam, venientem excipere, transeuntem salutare, intueri, monstrare invicem; de illius fortuna vehementius, quam de nostra lætari.

Æstimate jam Auditores, per me licet æstimate quanta sit hujus magnitudinis modestiæ, quam gloriosa cum Eminentissima dignitate conjunctio. Mihi quidem longe est aliud, quod mirer. Lauræa in illo dignitatis suæ fastigio, non vacua non externa, quibus hominum oculi pacisci solent, pristinae conversationis tulit insignia, sed occulta, sed intima, quibus spiritu, ac veritate colitur Deus, Orationis fervor, Sacrorum frequentia, Jejuniorum Religio, Pauperatis amor, qualis in Claustris, talis in Solio: ut non Ordini Seraphico Religiosum ereptum diceret, sed Principem datum, & vere Principem, qui quantum valuit auctoritatis & gratiæ, id omne ad Institutum Religiosi patrociniū consecravit. Ornandæ rei sacre zelus, quam ardens ille, quam ingens, vel me ipso tacente hujusce sacratissimi Templi frons ejus vere posita, ara princeps, accensæ lampades, pictæ tabellæ, appensa tholo anathematata quod ad diuturnitatem oratio caduca non potest, multo perennius prædicabunt. Sacrorum frequentia quam diligens, ex hoc uno intelligite, Auditores. In crucentum Altaris Sacrificium impræternisse vigesies milles, & amplius obtulit; quem numerum in scheda notatum, omni hereditate pretiosorem, suis heredibus consignavit, uti suæ in Deum fidei Chirographum, certamque divinæ Misericordiæ cautionem. Mentalis orationis, qua Deus, animabus in solitudinem ductis intime loquitur, quæ mensura in usu sit, satis intelligitis, quot



quot religiosæ perfectionis, ac nominis estis. Cœlestis Jerusalem habitatores imitati, post effusa Supremo Numini laudem cantica, mediæ horæ silentium indicitis: „ factum est, inquit dilectus „ discipulus, silentium in Cœlo quasi per mediam horam. “ *Lauræ* altior Cœlis factus, silentium ad horam integram producebat ut Sponsum ad eor loquentem ubertius auscultaret. At quid putatis, assumptus ad Purpuram? Tum illam secretioris silentii horam præsumtuantibus Aulæ necessitate, vel invitum saltem intermisisse putandus erit? Fallor, Auditores, addidit alteram. Satis, opinor, intelligens humanam mentem quo magis exteriorum negotiorum multitudine defatigatur, ea frequentius Divinarum rerum meditatione reficiendam.

Verum quo me cogitanter abripi sino? Ego ne huc veni, ut quæ intima cordis sinu LAURÆA continuit, quæ regi, quæ condici voluit, in apertam numerosissimi confessus lucem inferrem? Aut in hanc ego orationem ingressus sum, ut quam in Eminentissima dignitate modestiam extuli, eandem illam imprudenti secretiorum virtutum commendatione violarem? hoc si velim, non ipsi, vel exanimis Eminentissimi Viri cineres utique patiantur.

Idecirco me revoco, Auditores, ad eximiam illam, quæ nulli unquam nota non fuit eruditionem singulari humilitati conjunctam, extremamque senectutem, nullo unquam studio fractam, nullo labore superatam.

#### SECUNDA, ET TERTIA PARS.

SI quæ unquam difficilis visa est eruditionis cum humilitate conjunctio, ea certe præ cæteris difficillima, quam Excellentissimæ Dignitatis conditio postulat. Cum enim suapte natura eruditorum animus intumescat, duplici titulo superbiere solet, ubi se altiori loco positum experitur, ac probat. Id vero quod mirandum magis, usque adeo ingenitum est, ut licet secretioris superbiæ sensu, humilitatis vultum multi consentur inducere, nunquam tamen sub eminentia larva toti delitescant. Erumpunt vel invitis innata levitatis male dissimulata indicia, & sapius quam vellent recurrunt ingenitæ jactantiæ motus, minimeque opinantes intercipient, obruitque. Hinc illa Viris vel mediocriter eruditis inrita magni loquentia: hinc gravitas, audacia, supercilium, quo sua cæteris ingenis fata cœlesti veluti nutu decernant.

Aliud aliud in *Lauræ* vidimus, aliud aspeximus, aliud comprobavimus. Vir animæ magnæ plenissimus, ingenium studiorum capax, omni eruditionis genere perpolitus; cujus in verbis quot apices, tot effata, quot sententiæ, tot oracula, nusquam sibi perstringi oculos passus est. Adversus omnes humanæ laudis illecebras, sua se modestia sic muavit, ut scire quantus esset nec vellet ipse, nec alii facile possent. Ex ipso eruditionis suæ splendore vilem illam, projectamque humanæ gloriæ mercaturam pedibus obrivit; aliis eruditus exemplum; aliis pudor; omnibus forma, & species humilitatis. Nihil illi ad pompam, nihil ad factum; Gregoriorumque ter Maximi consilium secutus, doctrinam suam felicissimi ingenii partem, non sibi, non gloriæ suæ nefario velut in cœstu servire voluit, sed omni ambitionis facie exutam tanquam Virginem castam Christo exhibuit.

Testes vos appello quotquot adestis, quibus Purpuratum Theologum propius intueri licuit, ac contemplari. Quam blande ex illo eruditionis suæ fastigio dependeret? Quam pie ingenii acumen,

doctrinæ ubertatem, dicendi facultatem temperaret. Quam christiane alienæ tenuitati innata sibi simplicitate se commodarit? Quam religiose callidæ adulationis obsequia, uti suæ Majestatis injuriam procul abiceret.

Itē nunc quos scientiarum tantum gloria movet, ac delectat. Prædicare quam volētis sacræ Theologiæ reconditissimam eruditionem; Pontificii Cæsareique Juris studium ingens; Aethicæ Scientiæ peritiam nulli non imparem, Scripturarum, ac Patrum lectionem immensam; historietum profanæ, tum sacræ plenissimam cognitionem: ego unam piis ejus manibus humilitatem gratulabor, qua se ipso major, totusque in Deum erectus, suæ sibi doctrinæ merita dissimulabat.

Nec tamen putetis, Auditores, sub otioso humilitatis velo LAURÆAM plus æque delituisse. Sibi non Ecclesiæ delituit: ut qui nihil ad sui celebritatem nominis egit unquam, omnia ad utilitatem Ecclesiæ incredibili attentione converteret. Revocate, quæso, animos vestros ad imaginem vitæ, quam egit universam. Quis in annorum spatium duorum & octoginta ob officiis vacuus locus? quid abruptum? quid inane? quam diuturna vita, tam actiosa, non demersa otio, non tenebris involuta torpuit. Versata est in continuis laboribus, in studiis, in omnium oculis, in difficillimis temporibus visa, jactata, nec sine magna publicæ admirationis usura traducta est. Jam vero in illa ultima luce Eminentissimæ Dignitatis, quam accepit, ut a tanto Pontifice non invitus, ut in tanta senectute non libenter, quid aliud amabo nisi majorem laborandi, vigilandi, agendi molestiam reportavit? Purpuram induit, uti sacrum Pontificiæ benevolentia pignus; ac induit non ad pompam, non ad otiosæ ornamentum ætatis, sed ad novam laboris, & contentiosis accessionem. Successit immenso decem Congregationum oneri animosus Senex, *Nihil ex annis habens*, ut eum Possidonio loquar, *nisi majorem remansum usum*, & *debitam ætati suæ reverentiam*. “ Dedit se causarum, judiciorumque tumultui, nec partem ullam sui, non spiritum, non sanguinem, non vim reliquam corporis, non ætatem ingenii passus est publicæ utilitati non vectigalem.

O utinam in eo, qui se mihi nunc campus aperitur, se mea jactare, & excurrere possit oratio! offerunt se se mihi traducti in summa rerum tractatione dies omnes, iidemque multiplici factorum gloria cumulati. Versatur ob oculos assidua illa, & indefessa sollicitudo, qua sic omnes officii partes implebat, ut illum (quemadmodum de Trajano notavit Plinius) *labore vestigi, ac reparari credidisset*. Venit in mentem mira illa dicendi facultas, qua sic omni de re, quæcumque in sacris confessibus se offerret, ex tempore pronuntiabat, ut ejus oratio non facta, sed nata, non quæsitæ, sed inventa, recitata de scripto, non ex intimo doctrinæ penu deprompta videretur: sed ecce per medias laudes, velat ex transverso occurrit acerbissima hinc cogitatio, quæ vires meas, mentemque debilitat.

Abstulit nihilominus, Auditores, ut hanc ultimam mortalis LAURÆÆ contubernii stationem cæteris inferiorem existimemus, quas mihi silentio præterire necesse fuit. Imo vero id in Eminentissimo Viro mirandum magis, quod quem non satis hæcenus noveramus, multo eminentior, ac major in ipsa morte apparuerit. Exteriora sapientissime quidem, interiora nondum penitus videramus. Erumpebant quidem vel inscienti, vel invito latentium quasi fulgores, & scintillæ virtutum! sed hæc illum particulatim, ut ita dixerim,

rim, & in recessu tantum nobis admirantibus ostendebant. Sola mors, quæ maxima quæque obruit, LAURÆAM veluti novo in lumine spectandum collocauit; hæc ei sua recte factorum involucria eripuit; hæc caelestem ejus animam aperuit: hæc arcane Sanctitatis sacraria referavit: hæc denique interiores, reconditasque virtutes in extremo illo vitæ actu conspiciendos explicavit.

Vos quicumque ægrotatis, & morienti affuitis, quique hic adestis, quid singuli videritis, quidve audieritis, pro me universi declarate. Commemorate quam crebra fuerint, quam sincera, quam nullo corrupta saltu Religionis testimonia? Quam humilis, quam amara nozarum recordatio; quæ confessio, quid dolor? quam sæpe divinæ Misericordiæ imploratum subsidium? quæ rerum caducarum fastidia, quod desiderium æternarum? Commemorate quanta ejus in expectanda morte constantia, in intuenda tranquillitas, in obeunda religio. Non mens ei senio fluxa, non oppressa morbo, non extincta languore, sed ab annis, & infirmitate vires accipiens, non modo singulis momentis corpus emori sentiebat, sed illius etiam funeri, quod paraverat, interesse, & ad tumulum pene deducere superstes ipsa letabatur. O spectaculum lætuosum æque, & admirabile! mortis nuntium non ab intimis, non a suis accepit, sed dedit ipse: dedit vero vocatis ad lætulum Fratibus, ut eorum in gremio vita deponeret, quos suo ipse sine continuo fuerat. O spectaculum, inquam, lætuosum, & admirabile! *Lætuus morientis, Cæciliæ est Magistri docentis*. „ Unde & vo-

„ ce, & exemplo docet, quam humiliter de se „ ipso, quam alte de divina gratia sentiendum; „ dum cuiuspiam sua illi pro adornatis operibus egregia merita intempestive commendanti “ non *merita*, inquit, „ *dixeris*, non *merita*, sed *dona gratia*. “ Dolet scilicet contempserit sui animus existimatione aliqua dignus videri: ægre patitur aliquid in se laudis, & gloriæ derivari, quam uni scientiarum Domino integram, plenamque restituit. Tum rerum humanarum derepente immemor, terrenis cogitationibus subductum animum soli Deo consecravit, & cum placido singultu, jam non oppressa crederetur: Psalmumque Davidicum fidelis Amicus inciperet, *Misericordias Domini*, ille vocem erumpens, in æternum cantabo, inquit, & extinguitur, & cantabis vere piissime Senex, *Misericordias Domini* in æternum cantabis in illo Beatorum domicilio, „ ubi Deus sine „ sine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. “

At nos miseri mortales, qui procul a Cælesti Patria in hocce terreno exilio detinemur, quid agimus? quid intendimus? quo animo fecuros illos morientis principis sensus excipimus? hos illi piæ fiduciæ sensus non eminentia dignitatis, non doctrinæ sublimitas, non celebritas nominis, non fama, non gloria facit, sed antea vitæ Religio, & usurpata per omnem ætatem divinæ Misericordiæ meditatio. Ut si grandes LAURÆÆ titulos æmulari tenuitas nostra satis nequit, ejus certe modestiam, humilitatem, Religionem, tuenda veritatis studium imitemur.

#### LAUS DEO.